

alteriusque duntaxat expositionem sequantur; etiam si alii, & meliores Patres ab eâ dissentiant, ut fusè ostendit Polanus in omnibus suæ Symphonie Catholicæ capitibus, & Syntag. Theolog. lib. 1. cap. 45. Quæst. 7. Porro Concilia errare posse, palàm facit ipsum Nicenum primum, quando milites damnavit, qui Christianismum semel professi, postea iterum in militiam, etiam legitimam abiissent; quando quosdam pœnitentiæ Canones sancivit, qui multarum in Ecclesiâ superstitionum causæ exstiterunt, ac Christi merita diminuerunt atque obscurârunt; quando sacris personis conjugium prohiberi voluit, nisi id factum Paphnutius impedivisset, &c. Denique Pontifices Romanos errare posse, docent graves illorum atque frequentes in verbô Dei interpretandô lapsus. Ex. grat. Bonifacius VIII de Majoritat. & Obedient. cap. 1. ut probet summam potestatem Secularem, atque Ecclesiasticam ad se pertinere, in scenam profert locum Euangelistæ Luc. cap. 22. vers. 38. *Ecce hîc duo gladii*, &c. eumque pro se interpretatur. Item Cephæ significat caput; ergo Pontifex est caput Ecclesiæ, cùm Johan. cap. 1. vers. 43. dicat Cephæ significare petram. Similiter Siricius Papa Epistol. 1, quæ est ad Himerium Tarraconensem, cap. 7. & Innocentius I Epistol. 3, quæ est ad Exuperium Tholosanum Episcopum, locum 1 Petr. 1: 16. *Estote sancti quia ego sanctus sum*, & Paul. Rom. 8: 8. *Qui in carne sunt Deo placere non possunt, vos autem non estis in carne, sed in spiritu*, ita interpretati fuerunt, ut inde deducant, Sacerdotes à conjugio esse arcendos; cùm Petrus de omnibus fidelibus loquatur, & Paulus de iis, qui carnalem naturam per Christi Spiritum nondum exuerunt. Sexcenta licet ejusmodi proferre: sed hæc sufficiant; tædet enim jam talibus nugis diutius immorari. Qui plura cupit, ut & Argumentorum, quibus Papistæ suam stabiliunt & confirmant sententiam, solutiones, adeat jam sæpius laudatum Chamierum, Polanum, &c.

## C A P. X.

1. *Plurium Reformatorum dicta adferuntur, 2. Ex quibus illorum Sententia definitur, ac breviter perpenditur.*

**D**Eviētis velitari, breviq̄ue pugnâ imbellibus istis, atque inermibus hostibus, aciem nunc deflectamus atque arma promoveamus in Reformatos, & quicumque ipsorum signa sequuntur, adversus quos fortiori pectore, longiori que dimicatione opus erit, utpote bellô strenuos, stratagematis insignes, armorum propugnaculorumque tutelâ bene instructos, & quod præcipuum est, à nemine adhuc, quod sciam,

I

oppu-